

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- Modernistarum error circa Eucharistiae institutionem.**
De Leone XIII P. M. Commentarius.
Selecta ex bibliothecis et archivis. M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum et earum artium quae litteris continentur.
Horae subsecivae. Post precellam. — Ad rivum.
Colloquia latina. Euntes ad ludum litterarum.
Ex Helvetia. Divinae consecrationis sacri saecilli Beatae Virginis Thau-maturgae Einsiedlensia solemnissima commemorationis.
Acta Pontifica. SSmi. D. N. pii PP. X epistola ad R. P. D. Antonium Mendes Bello, patriarcham lisbonensem, qua recentiora reipublicae lusitaniae in Ecclesiam acta conqueritur.

- Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.** Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituorum.
Diarium Vaticanum. Coram SSMo. admissions — Pontificiae electiones. — Vita functi viri claviores.
Annales. Balkanicum discrimen. — Varia.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romam.

MODERNISTARUM ERROR CIRCA EUCHARISTIAE INSTITUTIONEM

« Protestantes » persaepe Catholicis obiicere audent, S. Ioannem in suo Evangelio, de dogmate Eucharistiae ab universa romana Ecclesia tam firmiter credito, nunquam sermonem habuisse. Quibus catholici respondent, S. Ioannem verba Iesu Christi nobis referre, quibus ipsem Christus seipsum in cibum, sanguinemque suum in potum nobis promittit; ait enim: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis ». (1) Adidunt rursus, S. Ioannem, Eucharistiae institutionem, dum Christus pedes discipulorum layat, adumbrasse. (2) Sed etiamsi S. Ioannes, de ritus eucharisticie institutione taceat, quod assertum aperte negamus, de eodem ritu alii tres Evangelistae, et praecipue Apostolus Paulus, loquuntur.

S. Matthaeus (3) refert Christum dixisse: « Accipite, et comedite: hoc est corpus meum . . . Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ».

S. Marcus (4) refert Christum dixisse: « Sumite, hoc est corpus meum . . . Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur ».

S. Lucas (5) refert Christum dixisse: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem... Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur ».

Apostolus Paulus (6) refert Christum dixisse: « Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro

vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem... Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem ».

* * *

Sed hic Modernistarum errores oriuntur. Consideranti Evangelistarum et ipsius Apostoli Pauli verba, quaedam differentiae, non iam oppositiones, apparent: a) S. Lucas et S. Paulus de praeecepto coenam celebrandi loquuntur, de quo praeecepto Matthaeus et Marcus tacent. — b) S. Matthaeus habet verba « in remissionem peccatorum », quae apud ceteros Evangelistas non inveniuntur. — c) Formula a S. Marco adhibita in Iesu Christi verbis referendis, brevior est cunctis aliis, a ceteris Evangelistis adhibitis. Propter quae omnia Modernistae ita ratiocinantur: Impossibile mihi est, — scribit Loisy (1) — circa ultimae Coenae narrationes criticam instituere. Apostoli Pauli narratio (I. Cor. XI, 23-25), quae ceteris completior est, si examini subiiciatur, difficile est in ea secernere quid ex primitiva venerit traditione, quanam sit ultimae coenae descriptio iuxta mentem eorum qui coenae adstiterunt, quinam commentarius theologicus et moralis Apostoli. Propter quae omnia concludendum superest, non omnia quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae historice accipienda esse. Adde rursus, ultimae coenae tempore, ideam sacramenti cuiusdam perpetui menti apostolorum non potuisse fulgere, quae duo historicum cogunt tum ad Eucharistiae institutionem, tum ad eiusdem mortis Christi redemptivum characterem, denegandum.

Alius narrationem Apostoli Pauli interpretans, haec quae sequuntur scribit: « Verba: *Accipite et manducate* sunt glossa quaedam ab extranea manu, virtute parallelismi S. Matthei introducta; in cuius signum

(1) VI, v. 54.

(2) XIII.

(3) XXVI, 26, 28,

(4) XIV, 22, 24.

(5) XXII, 19-20.

(6) I. Cor. XI, 24-25.

(1) Autour d'un petit livre, VII.

est, quod in praecipuis manuscriptis uncialibus graecis, neque in melioribus manuscriptis *Hieronyminae Vulgatae*, neque apud S. Cyprianum, neque apud S. Ioan. Chrysostomum inveniuntur. Pariter, verba « *Quod pro vobis tradetur* » in *Vulgata*, a praehieronyminis versionibus desumpta fuere, eo fine ut sensus verborum Christi, melius, quam a S. Paulo Apostolo factum est, determinaretur.

Quidam Anglus denique, P. Sardner, (1) asserit, narrationes coenae prouti in *Synopticis* leguntur e narratione Apostoli Pauli in Epistola I ad Corinthios contenta originem duxisse. Narratio haec, revelatio quaedam personalis Apostoli fuit, ita ut ipsemet Apostolus Eucharistiae institutor sit habendus, atque eucharisticus ritus, in aliqua Ecclesia ab eodem Apostolo fundata, ortus sit.

* * *

Circa Modernistarum errorem, brevem instituimus criticam.

a) Affirmatio de additionibus posterioribus, formulae S. Marci factis nonnisi gratuita hypothesis appareat, atque in re tanti momenti, non placet hypothesibus ludere. Modernistae, quoties in Evangelii diversitas quaedam, non oppositio, invenitur, nimia facilitate ad hypothesesim de additionibus recurrunt, ideoque sicut ipsi gratis asserunt, ita nos quoque potiori iure asserta negamus.

b) Si S. Marci formula eamdem non pree se ferret significationem ac formulae aliorum Evangelistarum, mens coram *aenigmate* constitueretur, neque facile a mente concipitur, quomodo Christus Iesus, in momento morti proximo, discipulis suis *verbum* dixerit, quin eiusdem verbi sensum aperiret.

c) S. Marcus « *Evangelium Petri* » scripsit momento quo ritus eucharisticus ubique celebrabatur. Si igitur formulam breviorem adhibuissest alium sensum pree se ferentem ac formulae aliorum Evangelistarum, oporteret dicere S. Marcum hoc fecisse ad protestationem faciendam contra universalem usum universalemque fidem sui temporis; quod asseri rationabiliter nequit. Formula S. Marci, ita sentiendum est, per ceteras formulas parallelas Evangelistarum et ipsius Apostoli Pauli explicatur claritatemque recipit; ritusque eucharisticus in esse sacramenti, in elementis a Christo in coena assumptis, quaeque *panis et vinum* sunt, invenitur. Quo enim fine Christus panem ad manducandum, vinum ad bibendum assumpsit, preeceptumque suis dedit ut manducarent et biberent, nisi ut *ritus iterum celebraretur*? In doctrina Apostoli Pauli tria eademque efficacia affirmantur, idest: I. Existentia sacramentorum Baptismi et Eucharistiae. II. Eucharistiae institutio a Christo effecta. III. Eucharistiae institutio, per traditionem, quae usque ad ipsum pervenit Christum, corroboratur. Cur Apostolus, dum coenae celebrationem

commemorat, asserit, quod quemadmodum iudeus, victimae carnes manducans, particeps oblati sacrificii fit, ita et ipse fidelis in coena panem manducans, vinumque bibens, de unico atque completo sacrificio quod in cruce oblatum fuit? Certe ad sacramenti eucharistici doctrinam catholicam indicandam. « *Ista manducatio et potio — ait ad rem Cornely* (1) — *nostram cum Christi corpore et sanguine unionem significare aut dumtaxat producere dicitur; sed ipsa est unio: atqui quomodo id esse potest nisi corpus et sanguis Christi vere et realiter et substantialiter adsint?* »

Circa narrationes Pauli Apostoli ac Evangelistarum, verbis hisce D.^{ris} Pourrat (2) concludere placet: « *S. Paulus in Epistola prima ad Corinthios, viginti tribus vel octo annis post Christi mortem scripta, Eucharistiae institutionem nobis describit; narratioque huiusmodi a Domino est, et ipsemet Apostolus eam Corinthiis transmisit, qualem a Domino recepit. Quemadmodum Paulus, institutionis Eucharistiae narrationem ad mentem Corinthiorum revocabat, ita ceteri Apostoli, uti ex. gr. Matthaeus et Marcus fidelibus ab ipsis evangelizatis eamdem annuntiabant narrationem. Apostolorum tempore igitur eucharistiae institutio, Christi institutio retinebatur, atque ad se cum preecepto Christi conformandos, in memoriam eius fideles, Eucharistiam celebrant. Si traditio ipsi Christo Eucharistiae institutionem tribuens, falsa est, cuilibet certitudini renuntiandum foret*. » Merito igitur Pius Papa X damnavit propositionem 45^{am} *Syllabi* quae sonat: » Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I. Cor. 11, 22, 35) historice sunt sumenda. »

REGINALDUS FEI O. P.

DE LEONE XIII P. M. COMMENTARIUS⁽³⁾

Tot hisce tantisque malis convenientia succurrebant subsidia, quae in christiana sapientia unice inveniuntur, cum inanis falsaque sit humanitas, quae Ecclesiae repugnat. Curam suam ac desiderium pree ceteris ostendit erga Italiam, cui peropportunè memorat quot beneficia per Pontifices, saeculis labentibus, persenserit; ut positis tandem animis aliquot infensis ad Pontificis Maximi gratiam atque amicitiam se se tandem recipiat. « *Romanis, - ait, - certe Pontificibus Italia acceptam*

(1) *Comm. in I. Cor.*

(2) *La Théologie sacramentaire*, c. IV § II. Cf. LEMONNIER, *Epîtres de St. Paul*. (1. Cor. 11, 17, 34), qui scribit: « Les trois versions concordant pour tout l'essentiel et leurs divergences dans les détails prouvent surtout que ni les unes, ni les autres ne sont complètes.... Si l'on veut bien laisser de côté tout préjugé philosophique et toute préoccupation dogmatique, l'on se persuadera que les formules prononcées par le Christ, dans l'institution de l'Eucharistie, impliquent l'identité rigoureuse du pain et du corps du Christ de la coupe de vin et du sang du Christ et par suite la transformation du pain et du vin. C'est ainsi, évidemment, que le comprend S. Paul qui était en situation d'être renseigné sur la pensée du Christ et sur le sens qu'il attachait lui-même à ses paroles. »

(3) Cfr. num. sup.

referre debet solidam gloriam et amplitudinem, quae reliquias inter gentes eminuit. Ipsorum auctoritas paternumque studium non semel eam ab hostium impetu texit, eidemque levamen et opem attulit, ut catholica fides nullo non tempore in Italorum cordibus integra custodiretur ».

« Revera enim Ecclesiae summisque Pontificibus Italia maxime debet, quod gloriam suam apud omnes gentes propugnavit, quod iteratis Barbarorum impressionibus non succubuit, et immanes Turcarum impetus invicta repulit, et multis in rebus aequam legitimamque libertatem diu conservavit, et pluribus iisdemque immortibus optimarum artium monumentis civitates suas locupletavit ».

Dicitur Victorius Alferius, qui nobilis fuit Italicae Melpomenes vindex, et veterum tragicorum gloriam est consecutus, quam nemo e recentioribus sibi adhuc comparavit, cum se ad poesim convertit, luminibus praesertim Aligherii adlectus, meliora huiuse carmina sibi describere statuisse, quo melius ad memoriam ipsa revocaret; sique etiam atque etiam ad imitandum sublime eius exemplum adsurgeret. Quid accidit? Quum multa nimis praeclera carmina perlegeret quae pulera ipsi videbantur, sensim sine sensu brevi se integrum poema descriptsse sensit. Haud aliter mihi fieret, si omnes quosque puriores elegantioresque locos ex Leonis operibus de promtos describere in exemplum vellem. Quod eloquentiae flumen in Italos redundaret atque in omnes gentes, velut ex elegantissimis latinae linguae ornatibus, quibus aurea romanarum litterarum aetas Augusti nomine donatur!

Est enim in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus. Quod Tullius de *Bruto* dicere non dubitavit, de Leone nostro dicendum esse puto: non linguam modo acuisse exercitatione dicendi, sed ipsam eloquentiam locupletavisse graviorum artium instrumento et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisse. Et ut semper effecit, ut ingenii sublimitate vitaeque candore quemadmodum apud quoscumque esset, princeps poneatur habereturque carissimus, sic ad summam supremi Antistitis dignitatem vix pervenit, quum renovatae vitae rei christiana dederit admirabile incrementum.

Sed in primis hanc laudem apud omnes est consecutus, ut summam germanamque latine dicendi elegantiam cum sententiarum altitudine coniunxerit; sintque eius scripta tum litterarum nostrarum, tum totius christiana sapientiae praelarum in primis ac prope singulare monumentum. Haud desunt equidem, qui summa rapti admiratione, ad caelum eius elegantiam ferant, eamque Cicerone penitus ac Livio non indignam. Ac propterea nemo me incusabit, si dicam illam quamdam populi romani maiestatem in suis operibus mirum in modum expressisse, sive res ab ipso descriptas species, quae tot aetatis sua casus complectuntur, sive denique magnificentum illum ornatum orationis et

lacteam ubertatem, quam Quintilianus in Tullio laudabat.

Summa mala ex sectarum diffusione in Italia obveniunt. « Qui sapientiam christianam oderunt, iidem, quidquid contra fieri a se dicant, ad perniciem devocant civitatem. Istorum enim doctrinis nihil est magis idoneum ad inflammados violenter animos, concitandasque perniciosissimas cupiditates. Sane in iis quae cognitione scientiaque continentur, caeleste Fidei lumen repudiant: quo extincto, mens humana in errores saepissime rapitur, nec vera cernit, atque illuc facile evadit, ut in humilem foedumque materialismum (1) abiiciatur ». (*Litt. ad Episcopos Italiae*, 15 febbr. 1882).

Nunc divino suo munere fretus, universum hominum genus monet de communi societatis et principatus periculo atque efficacia religionis christiana: « Cupiditates populares quamlibet imperii vim audacius hodie recusant, quam antea; et tanta est passim licentia, tam crebrae seditiones et turbae, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata saepe obtemperatio, sed ne satis quidem totum incolumentis praesidium relictum esse videatur. Diu quidem data est opera, ut illi in contemptum atque odium venirent multitudini; conceptaeque flammis invidiae iam erumpentibus, satis exiguo intervallo summorum principum vita plures est aut occultis insidiis, aut apertis latrociniis ad internectionem expedita. (2) Cohorruit tota nuper Europa ad potentissimi Imperatoris infandam necem; ad tonitrisque adhuc prae sceleris magnitudine animis, non verentur perdit homines in ceteros Europae principes ruinas terroresque vulgo inchoare.

« Haec, quae sunt ante oculos communium rerum discrimina gravi Nos sollicitudine afficiunt, cum securitatem principum, et tranquillitatem imperiorum una cum populorum salute propemodum in singulas horas periclitantem intuemur ». (*Enc. Diuturnum de politico Principatu*, 29 Iun. 1884).

Quis veterum scriptorum tam scite eleganterque floribus exornat hanc rerum novitatem gravitatemque, ut nihil nisi latine per omnem vitam cogitasse, nihil scripsisse videatur? Quis ea urbanitate ac paene poetico colore exultantique haec nova disciplinarum placita atque humanitatis nostrae, nativa quadam facilitate romanoque more describit?

Haud sum equidem nescius, etsi Noster singula quaeque verba cum Cicerone potissimum comparavit, complura occurrere in consuetudine Ecclesiae, in describendis hominum nostrorum inventis nonnulla recentiora vocabula vel minus emendata neque optimis scriptoribus adprobata. Diceret Horatius:

Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim!

(1) Insania illorum qui materiei vim divinam tribuunt, Dei providentiam atque animorum immortalitatem respunt, hoc nomine appellatur.

(2) Necem designat Alexandri II, Russiae imperatoris. Nondum ferro occubuerat Elisabeth Austriae imperatrix; nee dum primus in Sabaudiae principibus confossus perierat Humbertus, rex Italiae,

In mentem etiam revoca, candide lector, Horatiana illa monita :

*... Si forte necesse
Indictis monstrare recentibus abdita rerum,
... Et nova fictaque, nuper, habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent, parce detorta...*

*Et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen.*

Ipse Tullius quoque querebatur, temporibus suis, quod romanorum sermo, etsi in multis ditissimus, iis vocabulis saepe eguerit, quae ad subtilitatem philosophiae enucleandam spectarent.

Hinc Noster, qui de placitis illis immortalibus scribit, quae ad religionem excolendam pertinent et minime sub sensus cadunt, romanisque omnino abscondita, atque artibus quoque disciplinisque recentibus de prompta, et mortalium mentem ad caelum erigunt, in perpetuam ac per difficilem quaestionem incurrit, de verbis scilicet eligendis. Verum cum in primis ad perspicuitatem, atque ad veritatem respiceret, locutionibus illis post habitis quae ex latino vel graeco fonte hauriri possent; quae vero rem potius describunt quam explanant, libertate utitur, quam ei Horatius permittit, novaque vocabula paene in latinum sermonem invehit, quae si Ciceroni modo sunt obsoleta, lectoribus pressius inserviunt, in quorum commodum unice scribere consuevit. Nec sane inconsulto. Namque nonnulla habet a graeco fonte nec licentius conficta, aut putidius derivata, aut inepte coalescentia, aut demum a propria in aliam significationem imprudentius translata, quae saepe saepius vel apud Italos novitatem redolent. Uno verbo, si, necessitate compulsus, paucula omnino Noster usurpare consuevit latinis auribus adhuc inaudita, quae dum recentiorum ingenia et mores magis graphice de pingunt, eadem orationis perspicuitati maxime student, nec ipsa omnino latini sermonis venustati repugnant.

Sed Leonis PP. XIII opera propius prosequamur.

Omnis populi nec modo Europae, sed etiam vel ex terrarum extremo fine ad Urbem convenient, et prout in obsequium erga Pontificem Maximum, Ei immobilem fidem profitentur. Quis talia videndo haud diceret :

Hunc circum innumerae gentes populique volabant?

Nil enim melius, nil pressius dici potest, ut frequentes populorum conventus, apud Leonem XIII ob oculos exponat. Mortales ingenio, linguis, disciplinis, moribusque dissoni, in ceteris dissimiles, in unum consensum erga Pontificem Maximum haud poterant, sine divino numine, coalescere. Et primi, animis nova spe in dies recreatis, Itali a Deo petunt ut Leoni XIII divinae virtutis praeconi pacem et tranquillitatem concedat et ipsi singulari pietatis testimonio consolationem adferunt. Praeter omnium opinionem Pontifici Maximo adversus graves difficultates eluctanti vel suppetias undique fe-

rebant, stipem S. Petri dedicabant, rati per gratiam Deo pietatem contingere quam in parentem erogabant. Quod Galli potissimum fecerunt, Hispani, Germani et Angli. Ad eius pedes venerabundi procumbunt ad precantes ut Deus cathedram Petri Apostoli perget fortunare, quam per viginti fere saecula divinitus stantem venti undique reflantes nec labefactare potuerunt nec loco dimovere.

Et ipse omnes nationes uno cordis amplexu obstrin gens, paterna consilia in amoris signum atque benevolentiae effundit. Anxius animi quod nobilissima gallica gens, quantumvis opibus firma et copiis locuples esse videatur, gerit tamen interitus sui in ipsis reipublicae visceribus inclusa semina, neque spem habere potest diuturnitatis, ut olim divinus magister flens Ierusalem ad conversionem sanctam invitabat, Galliam vocat, hortatur molliterque atque fortiter ab interne cione revocare nititur.

« Fieri non potest, - ait - ut prosperitas civitati comitetur, virtute religionis extincta. Et sane, ubi vereri Deum homo desit, maximum iustitiae tollitur fundamentum, sine qua bene geri rem publicam vel ipsi ethnicorum sapientes negabunt posse : neque enim satis habitura dignitatis est auctoritas principum, neque satis virium leges. Plus apud unumquemque valebit utilitas quam honestas : vacillabit incolumitas iurium malo custode officiorum poenarum metu ; et qui imperant, facile in dominatum iniustum, et qui parent, levi momento in seditionem et turbas delabentur ». (Enc. Nobilissima Gallorum gens, 8 febb. 1887).

Sed de his satis : paulo maiora ordiamur.

(*Ad proximum numerum*).

SUBALPINUS.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum et earum artium quae litteris continentur. (1)

Neque vero minus gloriosa, aut minus hominum generi fructuosa huius (2) quam illius (3) opera. Occupatur ille in finibus imperii proferendis, hic in finibus cupiditatum regendis ac coercendis ; novit ille quemadmodum urbes expugnentur, hic quemadmodum gubernentur ; ille quemadmodum iniuria, aut repellatur, aut reponatur ; hic quemadmodum et accipiatur aequo animo, et negligatur ; dicet ille, quam multos homines manibus suis trucidaverit, hic quam multos a caede facienda oratione sua revocaverit ; ille quam multos in servitatem abduxerit, hic quam multos a servitute vitiorum in veram libertatem perduxerit ; illius usus in bello nullus est, huius opera, et in bello, et in pace salutaris. Itaque si homines inter se amice, ac concorditer vi-

(1) Cfr. num. sup.

(2) Scilicet « eruditio viri ».

(3) Sc. « viri vitam militarem agentis ».

verent, si Dei ac natura iussa sequerentur, si denique
ii essent, qui esse deberent, iacerent omnes artes belli,
ut quarum inter iustos iustus usus esse non possit: no-
strae vero tum demum florarent, ac vigerent; tum
demum eas optimus quisque summa corporis, et animi
contentione sequeretur. Neque vero quemquam ita esse
arbitror sanguinarium, cui non praeoptanda videatur
nullius empta lacrumis gloria, neque ullo, nisi puro
illo ac limpido Aganippos rore irrigata, quam tabo, et
cruore oblita, et multa strage ac cladibus comparata.
Multa consulto praetereo: quod mihi, non tam ut copiam,
et varietatem consecter, laborandum est, quam ut ef-
fugiam satietatem. Quis enim unquam tanta ubertate
ingenii, tanta dicendi copia praeditus reperitur, qui
litteras ita laudare possit, ut non semper, cum plurima
dixerit, plura tamen omisso videatur? Omnia quae
homines in vita expetunt, cuiuscumque tandem generis
illa sint, nulla re certius, aut facilius, quam eruditione,
ac litteris, acquiri, conservari, amplificari queunt. Est
qui rei familiaris angustia pressus, ex ea expedire se,
et ad moderatas opes sine ulla turpitudine pervenire
cupiat? Quae ad id conficiendum via aut honestior,
aut expeditior, ac facilior est? Quam multos ex tenui
et exsili patrimonio, aut iuris scientia, aut medendi
arte fretos, ut eas potissimum nominemus, paucis
annis ad maximas divitias pervenire vidistis? Nam
quod plerique vulgato iam proverbio dictant, ex omni
nostrarum artium numero duas modo illas frugiferas
esse ac fructuosas, ceteras cultoribus suis decoquere,
ac decollare; in eo vanitatis illos, ac mendacii facile
res ipsa coarguit. Nota est historia de Thalete Milesio,
qui cum a propinquis obiurgaretur quod omne
tempus in sapientiae studio poneret, quod ad facien-
dam pecuniam, in qua illi posita putabant omnia,
nulli usui esset: Vultis, — inquit, — ostendam vobis,
posse hominem huic deditum, si ei commodum sit,
divitem fieri, et hanc esse si quis velit, ad quaestum,
ac compendium vel maxime compendiariam viam?
Cum illi se velle dixissent, homo, qui ex astrorum
scientia, magnam eo anno olearum ubertatem pre-
videret fore, multo ante, exiguo pretio, cum contra lici-
taretur nemo, omnia Chiorum, ac Milesiorum praela,
ac trapeta conduxit: quae cum postea suo tempore,
quanti voluit, elocasset, magnamque ex eo vim pecuniae
collegisset, ostendit philosophos non tam rem facere
non posse, quam maioribus, ac praestantioribus cogi-
tationibus occupatos, de ea facienda non laborare. Quid
Leontius Gorgias? Non ne rhetorices professione, et
maximas sibi divitias peperit et tantam gloriam, ut ei
vivo ac videnti honoris ergo, aurea statua in Apollinis
Pythii templo constituta sit? Quid illi qui eloquentiae,
quasi mercator, atque opifex quidam habitus est Iso-
crates? Non, et summa gloria fuit, et iis opibus, ut
ter ad trierarchiam vocatus, cum eam bis effugisset,
ad postremum splendidissime ac magnificentissime obie-
rit? Ad eam autem non fere nisi opulentissimus quisque,

ac locupletissimus adigebatur. Neque medicus erat
optimus pessimi principis magister Seneca, neque de
iure consulebatur. Et tamen quantum sibi opum vim,
homo externus et alienigena, eloquentia et eruditione
confecit? Scio, hoc, quod dicam quibusdam incredibili
visum iri. Sed tamen, si vera sunt, quae litteris pro-
dita sunt, haud scio an nullus hodie tota Italia princeps
tantas opes habeat, quantas in Senecam quadriennio
Nero congressit. Nam cum ex veteribus illis Romanis
M. Crassus opulentissimus fuisse dicatur; Senecas opes
Crassi opibus duplo maiores fuerunt. Prope est ut pi-
geat, in hac parte tamdiu immoratum esse; sed tamen
dicendum fuit aliquid adversus stultitiam eorum, qui
aiunt, si quis iuris scientiam, et artem medendi exci-
piat, ceterarum artium nostrarum sterilem esse cultu-
ram. Qui error ex eo potissimum natus est, quod do-
ctrinae medioeritas magnos efferre fructus non potest.
Itaque excellendum est iis, qui magna et praeclera
concupiverunt.

At nos simul atque paullum ultra prima elementa
progressi sumus, falsa de nobis opinione tumefacti,
quia non in nos continuo opes, et honores congeruntur,
iacere litteras clamitamus. Non iacent litterae: non
iacent: neque iaceuerunt unquam (1)

Sed ut unde digressus sum redeam, atque id quod
institui absolvam: et ad facultates ac copias sine dede-
core parandas accommodatae sunt litterae, et multo
magis colendae iis, qui opibus abundant: ne, si id
facere neglexerint, instrumentis sibi a Deo ad virtutem
datis per inertiam abusi esse dicantur. Eademque ratio
est et eorum quibus clari, et eorum quibus obscuri pa-
rentes obtigerunt. Nam neque illi ullo maiori, aut il-
lustriori ornamento condecorare, et, ut Homeri verbo
utar, coronare possunt nobilitatem a maioribus acceptam:
neque hi ex tenebris ulla ratione facilius emergere,
seque in luce, atque in oculis omnium collocatos, a
contemptu, atque ab oblivione in perpetuum vindicare.
Rex erat ac regis filius Alexander Macedo: et viam
sibi ad summam claritatem ac potentiam armis quotidie
muniebat. At is et plus se debere Aristoteli, a quo eru-
ditus, quam Philippo, a quo genitus fuerat, et cuius
in regnum successerat, praedicabat: et, cum ab illo
divulgatos esse libros quosdam arduis de rebus scriptos
aceperisset, aegre tulit; ac generosa quadam indigna-
tione motus, epistolam ad eum seripsit, in qua haec
verba sunt: Nam qua re posthac ceteris praestabimus,
si quae a te edocti sumus, ea omnium communia erunt?
Ego autem malim optimarum rerum scientia, quam
opibus et potentia ceteris anteire. — Haec igitur ille
regum stirpe ac sanguine editus. Obscurissimo autem
genere ortos quam multos nominare possumus, quos
supra omnes omnium fumosas imagines litterae collo-
carunt? Obstetricis filius erat Socrates. Num igitur eo

(1) Aftert hic Muretus nonnulla aetatis suae exempla, quae brevitatis
causa omittimus: haec enim rerum summa, paulo ante ab auctore edicta,
« excellendum iis esse, qui magna et praeclera concupiant ».

Alcibiades nobilior? Euripidis matrem vendendis oleibus vitam tolerasse accepimus. At ipse et regum familiaritate usus est, et ita clarus fuit, ut hodie magis Archelaus ex Euripidis, quam Euripides ex Archelai familiaritate noscatur. Tympanistria fuit Aescinis mater; at eum rex Macedonum Philippus quantopere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta in gratia apud Syracusarum regem Hieronem fuit? Sed quid huius rei plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora: ut minus saepe, quibus illi regnantibus vixerint, quam qui eis florentibus regnaverint, quaerere soleamus.

Neque tamen haec precipua sunt eorum bonorum, quae percipiuntur ex litteris; sunt alia longe maiora, longeque diviniora. Litterae inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant, luxuriantes, quasi frumentantes cupiditates, stringunt ac coercent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces et magistræ sunt ad virtutem: prosperis rebus ornamento sunt, solatio adversis, neque illis exsultare atque efferi suos, neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt. Crates quidem Thebanus interrogatus, quid sibi superesset ex philosophiae studio, notissimo versu respondisse dicitur: Choenix lupinum, et mentis a curis quies. O magnum et excelso animo praeditum virum! Quod aliis regna et imperia non adferunt, ut soluto ac libero animo sint, id ipsi, propter litterarum, et philosophiae commercium, choenix lupinorum adferebat. Quod si tam multa, tamque præclara bona litteris ac disciplinis continentur, si ipsis nominibus ac vocabulis testata est vetustas, earum cognitionem et hominibus, et liberis atque ingenuis hominibus dignissimam esse, si et ignava vita homine indigna est, et nullo in studio melius, quam in litteris, industria collocari potest, si ad opes ac potentiam, si ad honores ac dignitates via optime litteris sternitur; si eisdem et animi tranquillitas, et nominis aeternitas, comparatur, quid statis, adolescentes, aut cur oblatam vobis tanti boni consequendi occasionem effugere atque evolare patimini? Cur non, aliis omnibus curis et cogitationibus ex animo abiectis atque abdicatis, in hanc unam toto pectore incumbitis? Non hoc sedendi, ut ait Bacchylides, ac cunctandi tempus est. Non enim ex plano ac facilis gloria haec petitur, neque lata, ut ait Propertius, via currere ad Musas datur. Non frustra eas antiqui in arduo atque edito monte habitare dixerunt. Laborem et sudorem et vigilias in earum atrio ac vestibulo excubare voluit Deus, qui, ut dicebat Epicharmus, labore omnia prope bona hominibus venalia proposuit. Ego autem, ut libere vobiscum agam, valde vereor, ne, cum plenisque vestrum alia omnia abunde sint, mollitia multi et laboris odio a studiis avocentur. Itaque quibus verbis Homerica Pallas Nausicaan e somno excitat, quam segnem, et ignavam vocat, quod vestes magni pretii, sibi emptas a parentibus, neglectui habeat, easque

illotas, ac sordidas facere patiatur, surgere igitur eam iubet, et ad eas abluendas cum prima luce proficisci, praesertim cum instet tempus nuptiarum: iisdem merito multos e vobis aliquis quotidie obiurgaverit. Surge quamprimum miser, et ex animo torporem atque ignaviam execute! Quid tu istud ingenium, quod tibi a communi omnium parente Deo, multo qualibet veste pretiosius datum est, situ ac sordibus obsolescere quasi que rubigine obduci pateris? Cur non potius dilueculo ad illos proficisceris omnibus obvios et expositos doctrinarum fontes, quibus te mersans, ex quibus arbitratu tuo hauriens, pectus et purgatum vitiorum maculis, et multa præclarissimarum rerum cognitione madidum referas? praesertim cum puerulus amplius non sis, sed ea iam appropinquet aetas, qua tibi in lucem atque in cospectum hominum prodeundum est. Hinc enim demum, multo magis quam unde illa dicit, et tibi paries gloriam, et parentum pectus gaudio laetitiaque complebis.

Sed iam longior, quam par erat, fui. Cogitate, obsecro vos, languidis, ac remissis omnia difficultia, navis et industriis omnia pervia, ac facilitia esse. Deus Optimus Maximus, cui quaecumque hic acta dictaque sunt, grata, et accepta esse cupio, vobis omnibus eum animum inspirat, ut haec, ad quae vos hortatus sum, tam sequi velitis, quam consequi potestis. Duxi.

HORAE SUBSECIVAE

Post procellam.

*Diffugit nimbus, glomeratas aethere nubes
Victor ad eos Africus egit aquas;
Sol iterum fulget, rident viridantia prata,
Collesque et roseo silva colore nitent.

Luscinia e clivis resonat tectisque salutat
Extremum passer, luce cadente, diem.

E stabulo egressus vineta atque arva revisit,
Gaudetque intactis messibus agricola,
Et solem occiduum spectans nubesque fugatas,
Miratur magnum per cava murmur aquae.

Interea caelo scintillant astra sereno,
Aegraque tranquillus lumina somnus habet.

Fluctibus adversis actus cur deficis exspes?
Cur Superum demens irrita verba putas?

Confectus curis inter discrimina surges
Ut rutilans exit Lucifer oceano.*

Ad rivum.

*Rivule, qui vitreus secreto e pumice manas,
Cur, rapide aufugiens, ad mare tendis iter?
Quo simul ac venies, undis permixtus amaris,
Non humor dulcis, non tibi candor erit.
Nec pulchrae valles rigua quas alluis unda,
Nec te currentem florea prata tenent.
Quam bene, quas Numen statuit, tu rivule, leges,
Ac finem curas tangere propositum!
Ipse Dei oblitus, terraeque affectus amore,
Per vana, heu demens! avius usque vagor.
Nequicquam rapidi menses volvuntur et anni,
Rugisque haud affert dura senecta moras!*

Auximi.

P. RECANATESI.

COLLOQUIA LATINA**Euntes ad ludum litterarum. (1)**

CLAUDIUS. — Videtur tibi tempus eundi ad ludum?

PAULUS. — Plane tempus est ut eamus.

C. — Non satis teneo viam; credo esse in illo vico proximo.

P. — Quoties illuc ivisti?

C. — Ter aut quater.

P. — Quando coepisti eo ire?

C. — Nudius tertius aut quartus.

P. — Quid igitur? An non id satis est ad noscendam viam?

C. — Non; etiam si eam centies.

P. — Ego vero, vel si semel, nunquam deinceps aberrarem. Sed tu vadis invitus et ambulas lusitans, nec viam aspicis, nec domos, nec ulla signa, quae te postea admoneant, qua sit flectendum, qua via tenenda. Ego haec omnia observo diligenter, quia lubens eo.

C. — Puer hic habitat in proximo scholae. Heus tu, puer, qua itur ad aedes tuas?

PUER. — Quid vis? Venis a matre tua? Mater mea non est domi. Mulier quaedam casearia eam cum sorore mea invitavit ad edendum lac coagulatum.

C. — Et tu cur non es una profectus?

(1) Ex colloquiis Io. LUDOVICI VIVES passim retractavit nostrisque mōribus aptavit I. F.

PUER. — Relictus sum hīc, ut servem domum sed pollicitae sunt mihi, se de reliquiis allaturas partes in quasillo.

C. — Quin tu igitur non manes domi?

PUER. — Continuo revertar. Prodii lusum paulisper talis cum filio huius cerdonis. Vultis et vos venire?

C. — Eamus, sodes.

P. — Minime vero id quidem.

C. — Quid ni?

P. — Tu ludito si vis; ego ibo ad scholam meam.

C. — Ne me apud praceptorum meum, si forte ei occurreris, deferas, quaequo. Dic me detineri domi a patre.

P. — Vis mentiri me?

C. — Ecquid, propter sodalem?

P. — Mentiri, semper iniquum. Qui adolescens mentitur perditus est et evadet scelerosus vir.

C. — Interim iste puer elapsus est nobis, nec rogavimus qua esset via ad ludum. Revocemus.

P. — Abeat in malam viam suam! Nolo sit tibi rursus incitamento ad lusum. Percunctabimur ab hac vetula. — Mater, nosti ne quo itur ad regium gymnasium?

VETULA. — Iuxta illud habitavi ego sex annos. Transite plateam hanc; inde est angiportus; tum platea altera; hinc flectite ad dexteram; tum ad sinistram... Ibi percunctamini: non procul abest schola.

C. — Vah, non poterimus omnia retinere!

V. — Manete paullisper. — Theodorine, deduc istos ad locum gymnasii.

THEODORINUS. — Quid malum gymnasii? Quid hominis est hic Ginasius? Quasi ego norim!... Loqueris ne de Ginesio illo, qui resuit calceos iuxta Cauponam Viridem; an de praecone in Vico Gigantis, qui alit equos meritorios?

V. — Sat scio: nunquam tu nosti nisi ea quae vulgi sunt, inertissime. Gymnasium schola, illa est e conspectu aedium, quas usque ad superiorem annum habitavimus.

T. — Ah! iam redit in memoriam.

V. — In reditu, transi per macellum et eme acetarium, et raphanum, et cerasa: cape fiscellam.

C. — Duc nos etiam per forum olitorium.

T. — Hac ibitis brevius.

C. — Nolumus isthac ire.

T. — Qui sic?

C. — Quia... quia momordit me illic canis ex domo pistoris. Quin et volumus te comitari ad forum.

T. — Revertens faciam iter per macellum; nam procul adhuc absumus, et emam quae sum iussus, postquam reliquero vos ad ludum.

C. — Nos cupimus videre quanti emas cerasa.

T. — Nummis senis veneunt in chilogramma, id est in libras ternas; sed quid ad te?

C. — Amo te empturum minoris. Et quidem, est illic muliercula quaedam oluseularia, de qua si emeris, scio eam et vendituram nummis tantum quaternis, et daturam nobis ultro vel cerasa, vel malum aut fructum alium; nam filia eius ministravit quondam familiae meae.

T. — Ne dispendium hoc viae constet vobis a magistro reprehensione!

C. — Minime vero; nam satis veniemus temporis.

T. — Eamus igitur. — Ventum est in forum olitorium. Ubi est tandem oloscularia vestra?

C. — Id ego circumspiciebam. Sed eme ab hac, ea lege, ut aliquid det nobis corollarii. Heus, tu! Puer hic emet de te cerasa, si aliquot nobis donaveris.

OLUSCULARIA. — Nihil mihi donatur; omnia venduntur.

C. — Nec sordes istae donantur tibi, quas habes in manibus et in veste?

O. — Nisi procul hinc abis, impudenticule, has sordes sentient genae tuae!

C. — Quomodo sentient meae genae, quum habeas in tuis manibus?

O. — Redde cerasa, furuncule.

C. — Sumo exemplum; nam volo emere.

O. — Eme igitur.

C. — Si placuerint, quanti?

O. — Nummis duobus libram.

C. — Ah! acerba sunt. Tu, vetula benefica, vendis populo cerasa strangulatoria.

T. — Abeamus hinc ad locum quem petitis; nam vos argutiis vestris intricaretis me, et detineretis diu. Iam, ut puto, mater mea furit domi ob moram meam. — Ecce, illic, *ginesii* vestri ostium. Valete.

EX HELVETIA

**Divinae consecrationis sacri sacelli
Beatae Mariae Virginis Thaumaturgae Einsiedlensis
solemnissima commemoratio.**

Inter festa et solemnia, quae quotannis per anni circulum habentur in venerabili coenobio Einsiedlensi in Helvetia dies decima quarta mensis Septembbris praeminentiam quandam habet. Hac enim die divina consecratio aediculae B. M. V. commemoratur. Quae proinde memoria semper et praecipue, quando dictus dies, sicuti hoc anno MCMXIII evenit, in diem dominicam incidit, summo splendore ac maxima pompa peragitur. Et iure quidem: hac enim die summus rerum omnium Architectus hanc aedem constituisse videtur, tamquam perpetuum sui amoris et honoris erga gloriosam Matrem monumentum et simul generis humani refugium.

At, forte quaeret quispiam quomodo quandoque in *Silvae obscurae* solitudine Einsiedlensi tam insignis gratiarum et religionis fons scaturierit.

Hac de re, amice lector, imprimis vero de Deiparae Matris sacelli caelitus facta dedicatione, liceat mihi aliqua verba facere.

Primus honos et cultus Deiparae Virgini Mariae, hie loci exhibitus est a sancto *Meginrado* sive *Meinrado*, primo huius Eremi incola. Qui ex Sulgoviae comitibus in Germania ortus, eiusdem erat stirpis, ac domus Zollerana, quae adhuc floret.

A piis parentibus puer doctissimo monacho Erlebaldo erudiendus traditur, bonarum artium in illo Monasterio magistro, cuius nomen *Augia*, *S. Augia dives* per plura saecula inter christianos florebat. Adolescentis animus, ut optimae erat indolis, plus quam liberalium artium studio rerum divinarum ardore inflammatus est, ita ut vitam monasticam sub Benedictina Regula inire non dubitaverit. Quum per aliquot annos sub Erlebaldi regimine, qui interea Abbas factus erat, non paucos doctrinae et pietatis fructus dedisset, in aliqua cella dissita, quae ad monasterium Augiense pertinebat, scholari studio praefectus, iuvenum animos non minus bonis artibus quam caelesti virtute Meinradus imbuit. At perfectioris vitae desiderio permotus, fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi perrexit, et liberius Deo volens servire solitariam coepit vitam anhelare. Igitur annuente Abate in vastissimam *Silvae obscurae*, ut tunc vocabatur, solitudinem in media Helvetia secessit, ibique cellam et sacellum sub nomine et titulo SS. Virginis Matris aedificavit. Tum vir venerabilis totum se orationi ac divinarum rerum meditationi in horrida silva dedit, caelestium oraculorum verba et miracula inquisivit aliisque patefecit. Exactis in divini servitii studiis annis tribus supra triginta, vir Dei iam corona martyrii dignus, a nefariis latronibus inquiritur in odium religionis occidendum, a quibus crudeliter peremptus, martyrii palmarum adeptus est anno Domini DCCCI. His initiosis B. M. V. in Eremo primus cultus et religio, in Eremitarum sive *Einsiedeln*, ut germanice vocatur, frequentia et incrementa exorta.

Post S. Meinradi obitum, per aliquot annos Eremus quasi deserta et relicta erat, nisi quod apud vicinos primi sancti incolae celebris memoria vigebat, multique homines in necessitatibus suis Martyris locum et ob magna et mira auxilia divae Virginis sacellum frequentare solitabant. Quadraginta et amplius annis elapsis S. Benno, ex Regum Burgundiae stirpe, canonicus Argentinensis, cum paucis sociis in «Meginradi cellam» se recepit ibique vitam solitariam continuavit. Anno Domini CMXXXIV tertius Eremi cultor B. Eberhardus, Argentinensis Cathederalis praepositus advenit amplius cum facultatibus et haereditate opulenta. Ipse a B. Reginlinda, Sueviae ducissa, ab Othono I, Imperatore Romano et Germaniae Rege, eiusque coniuge S. Adelheide adiutus, statim ad amplissimi Monasterii et

basilicae structuram animum manusque applicavit. Quae basilica ita constructa, ut a S. Meinrado quondam conditum, a Bennone instauratum caeli Regiae sacellum includeret.

Omnibus completis et paratis, ineunte mense Septembri anni cmXLVIII B. Eberhardus ad S. Conradum, Constantiensem episcopum et ad S. Udalricum, Augustae Vindelicorum praesulem, misit eosque ut novum templum ac simul sacellum Marianum inclusum consecrarent, invitavit. Qui ambo episcopi, plurimis viris nobilissimis concomitantibus maximoque sub vicini-

« Cessa, cessa, frater, divinitus Capella consecrata est ». Igitur S. Conradus e sacello egressus, comitantibus praesentibus et Deum Deique genitricem magnificantibus, basilicam maiorem sacellum includentem solam consecravit et dedicavit. Inde exorta est fides sacellum thaumaturgae Einsiedlensis divinitus dicatum et consecratum esse.

At, amice lector, fortasse mihi dices, nunquam te haec declamitanti fidem tribuere, nisi res narrata etiam auctoritate et ratione confirmetur. Quod iure petis et postulas, mox exequar.



Einsiedlensis monasterii prospectus.

populi concursu in Eremum advenerunt. Nocte diem consecrationis antecedente, quum S. Conradus more solito surrexisset, ut in Ecclesia orationi incumberet, subito melodiam dulcissimam percepit; quumque magis magisque animum mentemque intenderet, certissimo animadvertisit Christum Salvatorem nostrum casula violacea induitum ante altare sacrum celebrantem. Maria Virgo ante altare stabat splendida sicut fulgur. Iuxta Dominum b. Episcopus vidit quatuor Evangelistas aliosque Sanctos ex caelesti exercitu Domino in sacro servitio inservientes; clareque percepit eos caeremonias, ordinem ac cantus in sacelli consecratione adhibere, quibus Episcopi in Ecclesiarum consecratione utuntur.

Orta luce, quam Exaltationis Crucis memoria illustravit, sanctus Antistes incertus haerebat, an peractam a Christo ipso consecrationem denuo institueret.

Cunctante interim fere ad meridiem Conrado, omnes eum ad ritum sacrum peragendum impulerunt veluti vana et tamquam caelestium ex meditatione nata somnia eius narrationem reprehendentes. Dum tamen, illis vehementius urgentibus, sacra officia inchoare vult, enovo prodigo ab omnibus ter audita de caelo vox :

Primum testem dico ipsum S. Conradum, virum summae et gravissimae auctoritatis, cuius dignitas, vitae sanctitas, sapientia virtutesque omnes ab omni fraudis et inanis credulitatis suspicione nos plane liberant. Ipse rem gestam in libro, quem « *De secretis secretorum* » inscripsit, posteritati prodidit. Porro ille vir egregius Romae sumnum Pontificem Leonem VIII de magno, quod apud Eremitas evenerat miraculo, certiore fecit illudque, presentibus etiam Othonem I imperatore cum sua coniuge S. Adelheide multisque Germaniae et Italiae Praesulibus, et ut rem certam et compertam retulit. Leone VIII, re bene perpensa, non modo caelitus factam dedicationem sanctam et ratam habuit ac confirmavit, et dedicationem iterari severissime vetuit, sed etiam magnis privilegiis Monasterium et eos, qui pietatis causa sacellum adiissent, indulgentiis ditavit. Hoc constat ex Bulla Leonis VIII, IV Idus Novembbris anni CMLXIV edita, in qua inter cetera haec habentur :

« Nos ergo, consultis venerabilibus Fratribus et coëpiscopis nostris Hattone. Moguntiensis ecclesiae archiepiscopo, Brunone, Coloniensis Ecclesiae archiepi-

scopo, Annone Wormatiensis Ecclesiae episcopo, Ot-
tuino Hildesheimensis Ecclesiae episcopo, Okkone, Mir-
midonensis Ecclesiae episcopo, Erkenbaldo Argentinensis
Ecclesiae episcopo, Udalrico, Augustensis Ecclesiae
episcopo, Hartberto, Curiensis Ecclesiae episcopo, nec-
non Eggehardo Augiensi abbatte et Burkardo S. Galli
abbate et aliis quam plurimis, quorum consilio nomi-
natae Capellae consecrationem ratam esse confirmamus.
Et ne praesens episcopus vel aliquis successorum ma-
num deinceps audeat mittere, auctoritate Principum A-
postolorum Petri et Pauli et praedictorum patrum et
nostra sub anathemate inhibemus».

Sed, auditio Leonis VIII nomine, fortasse mihi ri-
gidioris censurae chronographos inspicere consulis,
qui Leonem VIII, nullibi nisi inter Pseudopontifices
nominant.

At nostrum hie non est neque etiam necessarium
contendere, utrum legitimus an intrusus Pontifex Leo
VIII fuerit, quamquam gravissimi auctores censeant,
ex quo tempore Benedictus V Pontificali dignitate se
abdicavit, id est a die xxiii mens. Iunii cmlxiv, verum
S. Petri successorem fuisse. Id vero constat, eius pro
facto hoc historico datam Bullam cum omnibus privi-
legiis a pluribus deinceps Pontificibus, a Martino V,
Eugenio IV, Nicolao V, Pio II, Iulio II, aliisque praemisso
veritatis examine confirmatam esse, ut adeo
Leonis Bulla saltem historicum idque gravissimum mi-
raculi nostri monumentum sit.

Angelicae consecrationis et Bullae a Leone VIII
meminit etiam celeberrimus ille annalium scriptor Hermannus Contractus: «Capella, inquit, in coenobio S. Meginradi caelitus consecrata est, xviii kal. Octobris, et Papa Leo consecrationem capellae caelitus factam coram principibus scriptis confirmavit». Similiter etiam Martinus poenitentiarius cum aliis. — Quid est igitur,
eur dubitandum sit, quin illud verissimum sit, quod tanta comprobavit auctoritas, quod hucusque crebra
comprobarunt miracula?

Accedit, quod prodigii huius memoria iam ab antiquissimis temporibus solemnni ritu, maximoque hominum accursu celebrabatur; tales solemnitates vero et dies festivi nonnisi publica Ecclesiastica auctoritate post exploratam certam rei veritatem institui poterant.

Et sane, intuere infinitam peregrinantium multitudinem ex remotissimis non modo Europae, sed etiam aliarum terrarum longinquissimis regionibus ad Einsiedlense Sanctuarium confluentium, non solum ex abiecta plebecula, sed et ex potentissimis undecumque principum familiis, ex purpuratorum et episcoporum ordinibus, et libenter fateberis, non commune quoddam Sanctuarium, sed divina providentia celeberrimum ibi honorari et frequentari.

Utque de omnibus sileam, quot quantisque miraculis
Einsiedlense Sanctuarium claruerit, exstant tabulae,
monumenta, aera, marmora aeternis insculpta litteris
et nulla temporum oblivious delecta; exstant chartae et

membranae scriptorum omni fide dignorum, qui beneficia et gratias impetrata testantur. Hinc adeo crevit Sanctuarii fama et religio, ut S. Carolus Borromeus ad Cardinalem de Altempo scripserit: «Ingenti me gaudio perfudit Einsiedlense templum trans Alpes biduo di-
stans. Hoc certum habe, nihil mihi religionis pensum maiorem indidisse unquam, nisi forte Lauretanam ae-
dem excipias».

Ut vero nonnulla de solemnitate, quae adhuc post tot saecula quotannis peragitur addam, ante omnia revocandum est, quod superius dixi; memoriam dedicationis ipsius Sanctuarii, sub Dedicationis Angelicae nomine ubique gentium notam, die xiv Septembris mensis celebrari; si vero dies ille in Dominicam incidit, eadem aequalis solemnitas sicut in ipso festo etiam die octava, i. e. die xxi Septembris habetur.

Quamquam per totum annum, si paucos excipias dies, maxime vero aestivo et autumnali tempore, quotidie maiorum minorve peregrinantium numerus ad Eremum undique confluit, tamen dies Dedicationis ex illis est, ubi tantae fidelium copiae adveniunt, ut numerosissima oppidi hospitia atque etiam domus privatae illos omnino capere non possint. Sic, ut de aliis taceam, hoc anno ad diem solemnem festi plus quam millia hominum undecim per ferriviam advecti sunt; quot praeterea patrio more pedestres vel in curribus et equis advolaverint, nemo mortalium scit,

Iam pridie festi, horis matutinis et postmeridianis usque ad ingruentem noctem, in templo fidelium turmae stipulantur, ut ad tribunal s. poenitentiae accedant. Die ipso autem festo, iam ab hora matutina tertia campanae toti regioni solemnitatem annuntiant et suas voces cum fragore tormentorum bellicorum coniungunt. Incipiunt divina officia per solemnes Nocturnos, quos sequitur prima Missa pontificalis, quam cantus et musica exquisita comitantur et exornant. A plurimis sacerdotibus, tam monachis quam exteris, proinde incruentum Christi sacrificium offertur. Post priores Horas canonicas, Primam dico et Tertiam cantu firmo persolutas, concio solemnis ab Episcopo vel Praelato haberit solet. Secunda Missa Pontificalis, eodem ritu eademque solemnitate, ac mane, celebrata, Sexta et Nona cantatae sacram liturgiam finiunt.

Horae ante et post meridiem a peregrinantibus et hymnis sacris cantandis et recitandis orationibus nec non audiendis sacris praedicationibus, etiam in lingua francogallica et italica, si eiusdem nationis adsunt peregrini, et Vesperis Pontificalibus assistendo explentur.

Maximus vero splendor Officio vespertino vel potius nocturno reservatur. In magna basilica multis centenis vel forsan millesimis lampadum illuminata, a Monachis, qui doctissima sunt cantorum schola, Completorium canitur. Dein instituitur processio theophorica extra tem-
plum in vasta quae ante Monasterium extenditur platea. Splendet magico quasi splendore prospectus ecclesiae monasteriique, splendent porticus plateam cingentes,

splendent domus locum circumdantes innumeris lumenaribus; fulget vero prae omnibus altare ingens in extrema platea erectum quasi mare igneum undans et redundans. Hymni religiosi et musices concentus per taciturnam resonant noctem. Dum Pontifex cum SS. Eucharistia benedictionem impertit, Angelorum choros dicas descendisse, ut coram Omnipotente laudis et obsequii sacrificia immolent.

Qui haec scripsi, iam magnarum urbium festivitates vidi et magnificis pompis profanis et sacris interfui. At libenter gravi iudicio aliquot purpuratorum et Ecclesiae principum assentior, confirmantium nullum unquam actum religiosum, nec ullas ecclesiasticas ceremonias tam potenter animos permovere et tam alte in mentibus haerere quam pompam illam nocturnam Angelicae Dedicationis in Eremo Sacra.

B. S.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. D. N. Piⁱ PP. X epistola ad R. P. D. Antonium Mendes Bello, patriarcham lisbonensem, qua recentiora reipublicae lusitanae in Ecclesiam acta conqueritur. (1)

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Ubi Reipublicae Lusitanae decretum existit de societate discindenda Civitatis et Ecclesiae, equidem non cunctati sumus id facere quod apostolici Officii Nos voce admonebamur; litterasque encyclicas « Iamdudum » ad universos catholici orbis Episcopos dedimus, quibus in litteris cum alia conquesti sumus detrimenta quae religioni populi Nobis carissimi iam importata essent, tum praecipue illam damnavimus nefariam legem quae inchoato in Ecclesiae perniciem promotoque operi tamquam fastigium imponeret. Qua in re Nobis non ea sane affulgebat spes, eos qui tum Rempublicam gubernarent, brevi mutaturos esse consilium, conversoque sapienter itinere, sese esse ex contemptu atque odio ad avitam reverentiam custodiamque revocaturos Religionis catholicae, quae veterem Lusitaniae et potentiam genuit et gloriam. Sed tamen opinabamur posse fieri, ut, cum improba lex deducenda esset in usum, primo animorum tumore paulatim defervescente, humanitatis aequitatisque ratio aliquid valeret ad immodicam ipsius legis molliendam severitatem. Iam vero hanc opinionem res fecellit vehementer: in bello enim contra Ecclesiam administrosque Ecclesiae suscepto tanta tamque acri contentione perseveratum est, ut Nos, venerabilis Frater, ducamus Nostrarum partium esse per hanc epistolam recentiora quaedam istorum Reipublicae gubernatorum acta expostulare graviter et conqueri.

(1) Epistola haec d. die 1 mens. Martii, publici juris tantum facta est die xxvii elapsi mens. Septembri MCMXIII.

Illud, primum omnium, dolendum Nobis fuit vos, qui Lusitanis praestis Ecclesiis, teque ante alios — Episcoporum ex Lusitania, quorum his temporibus ubique est nobilitata virtus, merito principem — quamvis sedulos in obtemperatione publicis potestatibus debita et praecipienda et praestanda, in ius vocari violenterque e vestris exturbari sedibus, huius nimirum unius criminis reos, quod nullo pacto potueritis adduci ut, sacrosancta officia violantes, legum statuta probaretis, quae Nos, utpote Religioni perniciosa, improbassemus. Hanc eamdem ob causam complures e sacerdotum ordine gravissimos viros vel similiter expelli vel etiam coniici in vincula: utrisque vero omnem pervicaciter denegari iniustae remissionem poenae, contra atque ipse Reipublicae praeses, quodam sensu aequitatis impulsus, palam se cupere declarasset. Deinde non satis habitum est Ecclesiam de possessione bonorum, quae sanctissimis maximeque legitimis nominibus ipsius essent, deieceris: eo usque imperiosorum hominum procedit arbitrium, ut Ecclesiae ne licentiam quidem permittant corrogandae libere piorum stipis, unde aliqua ex parte cum divinum cultum tueatur, tum ministrorum Dei, quos ad summam egestatem redactos videt, necessitatibus occurrat. Huc accedunt illa non minus deploranda: quod consociationibus *schismaticis* consiliisque *laicorum*, ad legis praescripta conflatis, in disciplinam religiosi cultus, atque in templorum sacraeque suppelletilis usum amplior atque adeo absoluta iam datur auctoritas; quod, ut minaciter denuntiatum erat, iam nonnullis locis sacrae aedes per vim, quamvis acriter repugnante populo, sunt clausae; quod in sacra Seminaria, quae quidem nec multa et misera supersunt, quotidie ingravescit, eorum se gubernationi immiscendo, civilis potestas; quod in ipsis privatis studiorum domibus, nedum in publicis, nullam tradi licet de religione doctrinam; quod ipsae haud ita pridem interceptae sunt litterae huius Apostolice Sedis, quibus Episcopi cum reliquo Lusitaniae clero edocebantur quemadmodum se difficulti quadam in causa gerere deberent. Postremo, ab iniuria, insigniter in personam dignitatemque Nostram contumeliosa, non est nuper temperatum, cum factum est, ut in hac alma Urbe paene sub oculis nostris lex a Nobis damnata vim suam exerceret. De Instituto loquimur sancti Antonii Lusitanorum, vetusto ac nobili religionis beneficentiaeque monumento, quod quidem, violatis, quae quisque politus humanitate populus habet sacra, testamentis piisque voluntatibus mortuorum, in Institutum aliis naturae ac nominis converti vidimus.

Haec Nos, venerabilis Frater, pro Apostolici officii conscientia, ut diximus, facere non possumus, quin iterum detestando et conquerendo denuntiemus. Solliciti Nos quidem et anxii sumus Ecclesiae Lusitanae causa, quae fortasse nunquam tam gravibus fuit obiecta periculis; sed dolemus quoque, vehementerque dolemus, vicem nationis istius et gentis, cui, cum ad emendandam

fortunam disciplinamque civilem omnino munera pacis necessaria sint, domestici eiusque in primis exitiosi belli faces subiiciuntur. Quicumque enim praeiudicatis opinionibus partiumque studiis non serviunt, omnes consentiunt nullam populis capitaliorem esse pestem, quam intestina certamina dimicationesque religionis, ut quae maxime alienent animos inter se civium, viresque communis utilitatis effectrices elidant et dissipent. Verumtamen aegritudinem Nostram illud valde levat, quod certo scimus Dei providentis nutu omnia ad salutem Ecclesiae sanctae dirigi, divinamque opem ei tempestive non defore. Nec paulum solatii capimus etiam ex fide, obsequii virtutisque plena, Episcoporum et cleri et catholicorum Lusitaniae in Vicarium Iesu Christi, cuius fidei documenta habuimus iam et plurima et admirabilia. Supplices autem rogamus Deum, velit, hac deputa tempestate, celeriter Lusitaniae catholicae serenos referre dies: atque interea, caelestium auspicem munerum, ac praecipuae caritatis benevolentiaeque nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, tuis omnibus in episcopatu collegis, atque universo populo Lusitano apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die i mensis Martii MCMXIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

De absolutione sacramentali religiosis sodalibus impertienda.

In audiencia habita a Cardinali Pro-Praefecto S. Congregationis de Religiosis, die v mens. Augusti MCMXIII, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus, ob peculiares conscientiae rationes, facultatem, quam mense Februario huius anni omnibus Confessariis ab Ordinario Urbis approbatis concesserat quoad absolutionem Religiosis impertiendam, (1) extendere dignatus est ad omnes totius Orbis Confessarios a locorum Ordinariis approbatos. Hi proinde Confessarii, auctoritate Ssmi, omnium Sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere tenentur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire possunt.

(Ex decr. d. v mens. Aug. MCMXIII).

Ex Congregatione Rituum.

De vigiliis ad reliquias martyrum persolvendis in nocte ante dedicationem ecclesiae.

Iuxta Pontificale Romanum tit. *de ecclesiae dedicacione seu consecratione*, celebranda sunt vigiliae ante

Reliquias sanctorum Martyrum quae in altari consecrando includentur; et canendi Nocturni et Matutinae Laudes in honorem eorundem sanctorum; quaeritur:

Nocturni et Laudes in easu sumendine sunt e novo Psalterio Breviarii Romani per dies hebdomadae disposito; an e Communi plurimorum martyrum; et quo ritu canendi? *Resp.* — « In casu vigiliae persolvantur cum Matutino trium nocturnorum et Laudibus de Communi plurimorum martyrum, sub ritu duplici, cum Oratione de III loco *Deus qui nos*, omissa verbo *annua*, et non minibus reticitis, iuxta decretum n. 2886, *Cenomanen.*, 14 Iunii 1845 ».

(Ex decr. d. xviii mens. Augusti MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Octobri MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros qui sui quisque muners gratia Pontificem de more adiverunt, SS. D. N. coram se admisit peregrinorum agmina ex regionibus Salernitana et Lucana, ex dioecesi Ortana, Montis Falisci, Lucana; ex Umbria, ex Silesia, ex dioecesi Coloniensi, Parmensi, Placentina, Tiburtina, Bisuntina, Carcassonensi, Tolosana, Trevirensi; ex Londinensi civitate; ex dioecesi Aversana, Menevensi.

Praeterea coram SSmo. admissi sunt Gasta de Cunha doctor, litteras exhibens quibus legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate ex Brasiliensi civitate apud Apostolicam Sedem addicitur; et Gabriel Constanti-novitch, Russorum ex Caesareo genere princeps.

Pontificiae electiones.

Nominatio Episcopi et Praefectorum Apostolicorum. — Brevi Apostolico r. p. Ioannes Geraldus Neville, alumnus Congregationis S. Spiritus episcopus titularis ecclesiae Charrensis et Vicarius Apostolicus Zanzibariensis; decretis autem S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Canisius Theodorus Gellings e Societate SS. Cordium de Picpus, Praefectus Apostolicus novae Praefecture Terrae Gulielmi occidentalis et r. p. Clemens Fernandez ex ordine fr. Praedicatorum Praefectus. Apostolicus novae Praefecture insulae Formosae nominati sunt.

Vita functi viri clariores.

Die IX mens. Octobris MCMXIII, Toleti vita fungitur Purpuratus Pater **Graegorius Maria Aguirre y Garcia**, illius dioecesis Archiepiscopus Indiarum Occidentalium Patriarcha. Pola de Gordon in oppido Ovetensis dioecesis natus d. XII mens. Martii MDCCXXXV, Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci amplexatus est; qua in societate pluribus munibus perfunctus, episcopus Lucensis an. MDCCCLXXXV creatur, deinde ad Burgensem archiepiscopatum promovetur, et an. MCMVII in Sacrum Senatum cooptatur. Denique, post annos duos, in Toletanam sedem transfertur.

— d. xxv, Berolini, quo valetudinis recuperandae gratia se contulerat, moritur **Carolus Montagnini**, Archiepiscopus Larissen., Delegatus Apostolicus et Legatus extraordinarius apud Columbianam civitatem.

*Eximia est virtus praestare silentia rebus,
At contra gravis est culpa tacenda loqui.*

OVIDIUS.

(1) Cf. commentarii nostri huius anni num. IV, pag. 60.

ANNALES

Balkanicum discrimin.

Conflictiones Serbos inter atque Albanenses, quarum in superiore numero mentionem fecimus, horum clade, uti praevidere cuique licebat, clausae sunt; dumque alter alterum atrocium rerum accusat, inconsultus Issae Bolietinatz, Albani ducis, conatus Londinensis foederis re abolendi a Serbia Kossovo regionem auferendo, praeter inutilem hominum necem, id unum peperit, latens dissidium inter duos populos, quibus manent in posterum lati fines communes, circa quos tandem aliquando erit consentiendum. Interim Serbi Albanensem loca bello capta tenent, quamquam sperare iuvat brevi fore ut, Austrorum praesertim consilia sequentes, ab iis paullatim recedant.

Discrimina quoque Graecos inter ac Turcas componi videntur per pactiones, quae Athenis cum Turcarum gubernio recto tramite aguntur. Itaque, si per superiorem Octobrem mensem, nonnullos dies anxios habuimus, cum animis hodie sollicitudine satis refectis futura prospicere possumus.

* * *

Varia.

In *Lusitania* qui regis imperio favent periclitati sunt si possent in rempublicam vim facere. Frustra tamen; civile enim gubernium, a delatore quodam monitum, orientem seditionem brevi coeruit; quin etiam occasionem nactus est ut in adversarios acrius saeviret.

In *Mexico* populi legatis ac senatoribus in custodiā ex improviso datis, facile fuit Huerta illi factioso ad civilis gubernii praefecturam attolli. Aemulus eius, Diaz dux, ad fugam coactus est, Civitatum foederatarum Septentrionalis Americae praesidio nisus, quae proculdubio tantam Huertae proterviam non patientur ulterius.

In *Sinis* contra, novo facto periculo, Yuan-Sci-Kai reipublicae praeses pacifice electus est.

In *Germaniae* denique duabus civitatibus foederatis, quibus non regnum sed regni procuratio abhinc annos triginta erat, rex tandem datus est: Bavariam dicimus et Brunswick ducatum; pro quo «Federalis Coetus» leges an. MDCCCLXXXV et MCMXVII abolevit prohibentes quominus Cumberland domus, Hannover regens, imperii potestatem haereditate acquisitam et in ipso ducatu exerceret.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In *Austria*, quamquam expensarum rationes ab administro Engel expositae lacunam offerant, novae leges propositae de exercitu augendo.

In *Dania*, «conservatorum» factione frustra obsistente, regni constitutio aliqua ex parte est submutata.

In *Hispania* novum administrorum collegium suffectum, praeside *Dato*.

In *Italia* per novam suffragii legem habita comitia, gubernio favorabilia late cesserunt.

In *Russia* ab aerarii administro rogata lex contra omnium rerum sive vendendarum sive emendarum a privatis argentariis sibi factam potestatem.

In *Serbia* administratorum praeses *Pasic* de rerum, sive civilium sive exterarum, statu fusam ac prudentem orationem populi legatis dixit.

PER ORBEM

Die I mens. Octobris MCMXIII curruum series vapore actorum ad stationem Sosyka ferriviae Vladicaucasicae, ex ferreis axibus, nefarie, ut creditur, dimotis, exsilit et quassatur, magna cum viatorum caede.

Atrae procellae multa cum rerum et hominum iactura nunciantur e Gallia, Hispania exque Turcarum imperio.

d. II in Americana regione Panama vehemens fit terrae motus.

— d. VII Nome urbs in Alaska peninsula horrenda tempestate fere solo aequatur.

— d. X per Italiam omnem centenaria dies in qua Iosephus Verdius, musicae artis sidus nostrae aetatis maximum, Busseti in oppido natus est, solemniter commemoratur. Mediolani in eius honorem, collata stipe ex orbe universo, monumentum exigitur.

Victoria Anglicana navis *Volturno* in medio oceano incenditur, nec valent auxilia celeriter allata ut viatorum ducentos circiter a morte eripiantur.

— d. XI obstaculum ultimum per dynamitem tollitur quo impediebatur ne Panamensis isthmus in fretum converteretur.

— d. XIII nova arctica terra a Russica expeditione inventa nunciatur, eique nomen a Nicolao II Caesare impositum.

— d. XIV ex gasii improvisa incensione carbonis fodina *Universal Colliery*, ad decem millia passuum ab Anglicā urbe Cardiff, ruit, cunicularios quadringtonitos misere sepeliens.

— d. XVI in regalis aedibus Sancti Iacobi ad Londinum, De Fife Ducissa, Georgii Anglorum regis nepos, Arthurō, Principi de Connaught, nubet.

Curruum series vapore actorum recto tramite Manucio Liserpalum petens, ad S. Iacobi stationem superveniente altera invaditur. Nonnulli ex impulsu viatores necantur, alii vulneribus afficiuntur.

— d. XVII Vindobonae, ad monumentum in honorem Schwartzenberg principis eructum, coram Austrorum Caesare, Lipsiensis illius Teutonum victoriae centenaria dies sollemniter commemoratur.

— d. XVIII Germanicus aërostatus dirigibilis, a Zepelino fabricatus, ut alterum substitueret ad Heligoland die IX superioris mensis Septembbris perditum, in caelum et ipse sublatus, flamarum misere praeda fit una cum omni militum manu.

In Nicaragua civitate vehementer terra quatitur.

Incendium per quinque dies productum Shanghai urbis dicitur septentrionalem partem omnino delevisse.

— d. XIX ad locum ubi centum abhinc annis Lipsiensis pugna pugnata est, coram Germanorum Caesare Saxonumque rege sollemni ritu monumentum dicatur.

— d. XX, turbo, post hominum memoriam Melitensi in insula violentissimus, immensa damna apportat.

Meridian ad urbem Americanae civitatis Texas, ex pontis cuiusdam ruina, curruum series vapore actorum militibus onusta in barathrum praecipitat. Viatores viginti mortui lugentur; ad centum vulnerati.

Madriti, sexaginta et septem annos natus, vita fungitur Alexander Pidal, vir civilis scientiae ac liberalium artium in Hispania praeclarus.

— d. XXII in carbonis fodina ad Stag Canon, Novi Mexici oppidum, ex improviso incendio ruina fit, unde trecenti prope cunicularii obruuntur.

— d. XXIX procellae in Hispania, Anglia atque in Vallensi Gallica regione ingentes ruinas gignunt.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cipiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Mons. GIACOMO MARIA RADINI TEDESCHI, Vescovo di Bergamo. *Il problema scolastico odierno, ossia pensieri sulla libertà e sulla religione nella scuola.* Seconda edizione riveduta e accresciuta notevolmente. Volumi due. — Indidem. (Ven. lib. 6).

Mons. ORAZIO MAZZELLA, Arcivescovo di Rossano. *Il libero pensiero.* Che cosa è. Che cosa fa. Che cosa dice. — Indidem. (Ven. lib. 4).

Almanacco illustrato delle famiglie cattoliche per l'anno di grazia 1914. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

P. FRANCIS FINN S. I. *Percy Vinn* (Seguito di *Tom Playfar*). Racconto americano per i ragazzi. Nuova edizione illustrata. — Indidem. (Ven. lib. 2).

ANTONINO EYMIEU. *L'Ossessione e lo Scrupolo.* — Trattato teorico-pratico di cura della nevrastenia, psicosi, ecc., secondo la recentissima concezione Janet-Eymieu, ad uso degli ammalati, medici e confessori. Serie II del « Governo di sé stesso ». Unica traduzione italiana autorizzata dall'autore ed eseguita sulla decima edizione francese per cura di N. T. - Romae edid. Desclée et Soc., 1913. (Ven. lib. 3,50).

AENIGMATA

I.

Duritie cingor, quamvis sit mollis amicus;
Os mihi dat vitam, dat caput atque nemus;
Sum pallore madens, niveo fuseoque colore;
Me pallens adhibet, candidus, atque niger.
Me, comitum stipante manu, ad fastigia montis
Ducor, ubi involvit me cito silva frequens.
Confusum mordere nemus tunc dente valebo,
Fulgebit corpus quum sine labe meum.
Quando ego multiplic. motu instrumenta fatigo,
Dentibus actutum tunc datur esca meis.
Dum vario silvam serpit par infima gressu,
Pars suprema mei de idiosa iacet.
Desertura suos domini quum planta penates,
Tunc radios premit in vertice prompta manus,
Motibus innumeros, non tardis, protero calles;
Ut mea frons niteat, posteal iorde lavor.

AUGUSTINUS EIRO.

II.

II. (vulgo REBUS):

PRESARESCRESCE

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

ALOISII CLASII

LUSUS PASTORALES

(Latine vertit IOANNES BATTANI).

Aenigmata an. XVI, n. VIII proposita his respondent:

I) Remus; II) Plus minusve adversa subferimus.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Lud. Bernard, *Gratianopolis*. — Iac. Hobban, *Segubia*. — Hier. de la Plana, *Hispali*. — Carm. Zlinezky, *Cracovia*. — P. Prado, *Venetis*. — Iac. Costa, *Dumio* — F. Arnori, *Mediolano*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Diomedes Falva, *Constantia*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Ant. Masia, *Tarragona*. — Vinc. Starace, *Neapoli*. — B. Ferraris, *Augusta Taurin*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — F. Wawer, *Marianopolis*. — Georg. Archambault, *Quebeco*. — Io. Martins, *Philadelphia*. — F. X. M., *Drepano*. — R. Ricci, *Florentia*. — Lad. Thyssen, *Dresda*. — Nic. Endrigi, *Salisbury*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Claudius Lucensis. — R. Richi, *Traianopolis*. — Mart. Dunne, *Neo Ebora*. — Rich. Muller, *Borodino*. — F. Correa, *Emerita*. — Alois. Geyer, *Ratisbona* — St. Lowinski, *Zerkow*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Fr. Guerra, *Aletio*. — Rain. Silvan, *Londino*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Alb. Kain, *Dublino*. — Aug. Bouin, *Aureliano*.

Sortitus est praemium:

ALOISIUS GEYER,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI

HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinae Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

II. MILES.

Diu pugnatur, anceps certamen fuit,
Cruore tellus undique diffunditur...

I. MILES.

Mirum! Quid accidet nostri si perderent?

III. MILES.

Erant sed multi christiani milites...

I. MILES.

Cur imperator ipsos sic insequitur?

III. MILES.

Ut ipsi ad arma cursitant et alacres
Gerunt in pugna martiales spiritus,
Ut imperator ipsos et defenderet!

(Adcurrunt undique cives).

II. MILES.

Adsunt frequentes magis cives cupidi,
Ad forum concurrunt festino tempore,
Si quid de bello nuncii pervenerit...

I. MILES.

Quam curiosi Romae sunt istoc saeculo!
Alienas res curant studio maximo,
Suas vero magna tractant incuria.

II. MILES.

Erant ut olim Graeci, sic Romae vivitur.
Miselli currunt ut sciant et referant,
Solent sic praeter propter vivere vitam.

III. MILES.

Eorum causa tota in nobis posita,
Et actitatur ab alienis manibus.

IV. MILES.

Nobis sunt servi!

II. MILES.

Sed dieuntur domini.

I. MILES.

At opportune!

II. MILES.

Quid?

I. MILES.

Fecialis venit.

SCENA II.

FECIALES et DICTI. (*Hi adcurrunt ad supervenientem*).

I. MILES.

Quid fers de pugna?

II. MILES.

Quid de Maxentio?

I. FECIALIS.

Atrox fuit lueta, Romani, ad Tiberim,
Favens in primis armis est propitia.
Ipse imperator pugnat ut gregarius,
Suosque dirigit bellantes milites.

I. CIVIS.

Deus sit ipsis auxiliator optime!
Queat redire praecinctus Victoria.
Deus pacem donet cunctis in posterum!

I. FECIALIS.

Feroce adsunt animis atrocibus
Et ipsae copiae sociorum militum,
Circa Maxentium pugnant quae fortiter,
Acies novae lassis ferunt auxilium,
Et inter sentiunt cum clamore maximo
Morientium voces et clangorem buccinae.

I. CIVIS.

Venit sed alter!

II. CIVIS.

Quid refert?

III. CIVIS.

Quot funera!

II. FECIALIS (*introgrediens*).

Magnum, Romani, vobis funus adfero.
Pius, felix et Augustus Maxentius,
In flumen nuper cecidit miserrime
In armis pugnans multis cum militibus.
Heu! Quot pugnantes sunt submersi milites,
Suam qui mortem vindicarunt acriter;
Sed inter fluctus perierte fluminis!
Ferox et atrox et in primis eminent
Adest in pugna Constantinus aemulus;
Suis stat imperans mediis in copiis.
Mox mox in Urbem mandat introgredier. (*Exit*).

(*Sequitur in pag. seq.*).

SCENA III.

(*Magna hominum confusio: sunt ETHNICI, sunt et CHRISTIANI, qui huc illuc querentes cursitant: nunc exultant, nunc vero aliqui novissima timent, tollunt manus et oculos ad caelum atque anxie inter se colloquuntur.*)

CIVES ETHNICI.

- I. - Quot uno clades in momento temporis!
- II. - Erit quod Urbi fatum triste in proximum!
- III. - Ei quid reddit imperator nuperus?
- IV. - Quot una civitas simul videt funera!
- I. - Nondum sed intulit quanta ipsa gentibus.
- II. - Estne christianis fautor an ethnicis?
- IV. - Iuvat vero rebus inservire strenue!

CIVES CHRISTIANI.

- I. Sit unum nobis; liberetur Pontifex,
Ne forte a ceteris quis nos praeoccupet,
Eum confodiat furore percitus.
- II. - Heu! qui tumultus, spiritus commotio,
Vexatio civium!
- III. - Rerum direptio,
Urbes cum militum capiuntur turbine!
- II. - Praefectus filium quaesivit impiger
Apud custodias... semper inaniter.
- III. - Eum mactasse fraudulenter autumat...
- IV. - Foret nobis malum et religione grave!
- II. - Maxentius « bonus » profecturus dixerat
Sibi servari victimam placabilem.
Intelligens vafer nostrum Pontificem.
- III. - Erat quis sanctior nostro Melchiade?
- IV. - Quis scit an positi rerum in angustiis
Eum inactaverint furentes augures?

(*Interea novi homines agglomerantur, inter quos Vegetius).*

SCENA IV.

VEGETIUS et DICTI.

VEGETIUS.

Dolor gravis, milites, nobis, quod dedecus!
Est omnis unica Christianis gloria.
Ut ille dixerat noster Maxentius,
Fuit malorum omnis causa et ratio,
Eorum turpis et nefanda pravitas.
Si Romam saepius pestis depopulat,
Fames, egestas, eluvies fluminum,
In omnes gentes vocarunt hi miserias.
Eos a terris radicemus funditus,
In unum locum congeramus corpora,
Et acervatim disperdamus pulverem.
Iuvat mactare primum sed Pontificem,
Iis ne praesens laeta sit victoria.
Ite ad custodiam, tollite Melchiadem.

CHRISTIANI CIVES (*inter se*).

- I. — Eum quis manibus possit eripere?
- II. — Deus modo, Deus!
- III. — Ceterum res perdita est!

VEGETIUS.

Et hie in Foro sit placanda victima!
Sic ipse et omnis progenies pessima
Erunt militibus iusta funebria.
Ite vos, fortes, perfidos colligit,
Et omnes sentiant vindictae gladium.
Sunt senatores, sunt plerumque divites,
Faventes hostibus Romae nunc turpiter.
Hos vos mactate, tundite vos, plectite,
Nec unus restet Romae nunc incolumis:
Onus sie vindicis populi ipsi sentiant!
Vobis est, milites, ferre consilium.
Quid est agendum? Quid?

I. MILES.

Ruat patriiis
Turpiter agentibus vindicta sanguinis!
Furor noster gravis Christi discipulis!
Iis sit atra mors, funus indubium...

VEGETIUS.

Vos arma ferte, ferte facies, gladios...
Sic igne cuncta sunt lavanda sanguine!

(*Magna exoritur militum seditio, quum audiuntur buccinae et vices longe ad clamantium. Milites tunc admirati sistunt quasi novarum rerum exitum expectent. Christiani moerore confetti haec inter se colloquuntur:*

CHRISTIANI.

- I. — Quis at salvabit sanctum Pontificem?
Ab istis belluis erit quis incolumis?

V. — (*nuper ingressus*).

- Non est inventus ad Mamertum Melchias.
- III. — Forsitan est ipse solutus de vinculis?
- IV. — Aut missus in flumen?
- I. — Confossus?
- II. — A carnifice?
- VII. — Queis est anxium pectus angustiis?
Tuis esto, Christe, spes una filii.

SCENA V.

(*Proprius buccinae canunt, et mox, in magno omnes silentio compositi, CONSTANTINUS adparet. Est sagatus; stant circum multi milites, PUBLIUS, SCIPIO, aliique senatores).*

PUBLIUS.

Haec magna civitas regina gentium,
Gravi malorum nunc pereculsa cumulo,
Tuos ad pedes provoluta supplicans
Agit tibi gratias divisque maximis;
Velis precatur urbem triumphans ingredi,
Ut olim consules onusti spoliis,
Solebant victis orbis provinciis.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.